

Admodum Reverende Pater. Epistola R.V. data in festo sanctorum Simonis, et Iudei, pervenit ad nos in octava sancti Stephani proto-martyris: itaque peregrinata est amplius duobus mensibus, et, quod necesse est, per loca nivosa, et aspera, ut non exigua commissatione digna sit. Et certè epistola tam elegans, et nitida digna erat, quae pennis ventorum ferretur, et secundis auris continuo Romanas arces attingeret. Utinam librum totum R.V. lingua gallica scriptum legere potuissem: legi solum prima aliquot folia translata in italicum idioma, ex quibus de totius operis elegantia, et utilitate iudicium feci. Vidi praeterea, quae ad eundem librum notaverat censor: et interpretante nobis P. Richemondo verba libri: de ipsis censuris, ego, et cardinalis Asulanus censuimus. Spero librum utilissimum futurum, praesertim a tam candida mente profectum, cui nihil propositum est, nisi Dei satisfacere voluntati. Precor Deum, ut fructum tam boni laboris in praesenti vita R.V. gustare patiatur, et in aete rna utrumque nostrum ad fontem sapientiae os apponere, eoque feliciter satiari concedat. Romae die 3. Januar. / 1609

Epist. famili. LXII.